

et sese iactabant ob reditum ex Aegypto, (id quod subindicans propheta dicebat: *Nonne alienigenas adduxi de Cappadocia, et Assyrios ex fovea?*) (AMOS IX, 7) illud ipsum praerogativam Virginis facit. Imo vero et populus et patriarcha descendentes et ascendentes inde, istius ascensus seu reditus typum implebat. Nam illi descenderunt, ut mortem ex fame iminentem effugerent; hic vero ut vitaret mortem insidiis paratam. At illi eo venientes ex fame, tunc liberati sunt; ille vero ut eo descendit, regionem totam per adventum suum sanctificavit. Consideres itaque velim quomodo inter humilia quae ad divinitatem pertinent revelentur. Etenim cum dixit angelus: *Fuge in Aegyptum*, non promisit se itineris comitem futurum vel descendentibus vel redeuntibus, subindicans illos magnum habere comitem, recens natum puerum, qui statim atque apparuit, omnia mutavit, atque id effecit, ut inimici ad hanc oeconomiam admodum inservirent. Etenim magi et barbari, paterna superstitione relicta, adoraturi veniunt; Augustus Bethlehemico partui ministrat, dum censum fieri iubet; Aegyptus, dum fugientem et insidiis appetitum excipit, servat ipsum, hincque quamdam familiaritatis cum ipso occasione accipit, ut cum illum postea audiret ab apostolis praedicari, de his gloriaretur, quod ipsum prima exceperisset.

527 Atqui solius Palaestinae erat haec praerogativa: verum Aegyptus ferventior illa fuit. Nunc certe si pergas in desertum Aegypti, quovis paradiso praestantiorē solitudinem invenies, sexcentos angelorum choros humana forma, martyrum populos, coetus virginum, solutam diaboli tyrannidem totam, Christi autem regnum coruscans. Illam vero quae poetarum, philosophorum et ma-

gorum mater erat, quae omne praestigiarum genus invenerat, aliisque traderat, illam, inquam, videbis de piscatoribus gloriantem, et illa quidem vetera omnia despicientem, publicanum vero et tentoriorum artificem ubique circumferentem, ac crucem praemonstrantem. Haec porro non in urbibus tantum, sed etiam in deserto magis quam in urbibus. Per totam enim regionem istam videre est Christi exercitum, regiumque gregem, supernarumque virtutum vitam; idque non apud viros tantum, sed et in muliebri sexu reperias. Etenim illae non minus quam viri philosophantur, non scutum accipientes, neque equum conscendentes, ut iubent clari illi Graecorum legislatores et philosophi; sed aliud longe gravius bellum suscipiunt. Commune enim et ipsis et viris bellum est contra diabolum et potestates tenebrarum: ad huiusmodi vero conflictus numquam illis sexus debilitas impedimento est; non enim corporis natura, sed animi proposito huiusmodi praelia decernuntur. Ideoque saepe mulieres fortius quam viri pugnaverunt, et insigniora tropaea exerunt. Non ita coelum splendidum est vario illo stellarum choro, ut Aegypti solitudo quae undique nobis exhibet tabernacula monachorum.

528 Si quis veterem illam Aegyptum novit, Dei inimicam et furentem, felium cultricem, quae cepas formidabat et tremebat, hic optime Christi virtutem sciet. Imo vero non opus est nobis vetustis narrationibus: nam hodieque insanac illius gentis monumenta supersunt, quae priscam ipsius amentiam testificantur. Attamen hi qui olim omnes in tantam proruperant amentiam, de coelo, deque coelestibus rebus philosophantur, paternosque mores derident, avos suos miseros praedicant, et philosophos illos nihil

pendunt. Ex ipsis enim rebus ediderunt priscas illas aniles fabulas ebriorum esse inventa, veram autem sapientiam coelis esse dignam. Haec est quae a piscatoribus annuntiata ipsis fuit. Ideoque cum accurata dogmatum veritate multam exhibent bene vivendi diligentiam. Siquidem exuti rebus cunctis praesentibus, mundoque crucifixi, ultra etiam procedunt, labore corporis utentes ad victum egenis comparandum. Neque enim quia ieiunant et vigilant, se idcirco dedunt otio, sed noctes hymnis ac pervigiis, dies precibus et operi manuum deputant, apostoli studium imitantes. Si enim, inquam, ille, toto orbe ad ipsum respiciente, ut inopes aleret, officinam habuit, et artem tractavit, insomnes interrim noctes ducens: multo magis nos, qui in deserto habitamus, nihil commune habemus cum urbium tumultibus, vacationis otio ad spiritualia opera uti par est. Erubescamus itaque omnes, et divites, et pauperes, quando illi nihil prorsus habentes, nisi corpus tantum et manus, conantur et contendunt ut hinc victum parent egentibus: nos vero, dum innumera domi recondita sunt, ne superflua quidem his adhibemus. Quam igitur, quae, excusationem profereamus? quam consequemur veniam? Atqui cogites velim quantum isti olim pecuniae amatores erant, quantum gulae dedit, cum ceteris vitis. Ibi enim erant ollae carnum (Exod. xvi, 3), quas memorant Iudaei: ibi magna ventris tyrannis. Attamen quia voluerunt, mutati sunt, et igne Christi suscepto, in coelum repente advolarunt: quippe prius ardentiores aliis erant, atque ad iram et ad corporis voluptatem propensiores, incorporeas potestates mansuetudine et reliqua philosophiae suae tolerantia imitantur. Quisquis in hac regione fuit, quae dico novit.

529 Si quis vero tabernacula illa nunquam adiit, cogitet illum qui haecenus in omnium fertur ore, quem post apostolos Aegyptus tulit beatum et magnum Antonium, et secum reputet illum in eadem regione fuisse, in qua Pharaos. Attamen nihil hinc detrimenti accipit, sed etiam divina visione dignatus est, et talem vitam exhibuit, qualem Christi leges postulant. Et hoc sciet quisquis accurate librum legerit, in quo est historia vitae eius, ubi multam deprehendit prophetiam. Nam illa quae Ariano morbo captos spectabant, necnon detrimentum inde emersurum praenuntiavit, Deo utique revelante, et omnia quae futura erant prae oculis ipsi ponente: id quod cum aliis etiam adiunctis maximum est veritatis argumentum, quod videlicet nulla haeresis talem habeat virum. Sed ne ultra haec a nobis audire pergatis, si librum in quo haec scripta sunt legatis, accurate omnia ediscere poteritis et multam inde haurire philosophiam. Hoc autem rogo non ut librum adeamus tantum, sed et ea quae ibi scripta sunt imitemur, neque locum, vel educationem, vel maiorum nostrorum nequitiam obtendamus. Si enim velimus attendere, nihil horum nobis impedimento erit. Nam Abraham impium patrem habuit, sed eius nequitiam non exceperit; Ezechias filius Achazi fuit, et tamen Dei amicus effectus est; Ioseph vero in media Aegypto castitatis corona redimitus est; ac tres pueri in media Babylone, inque mediis aedibus, cum Sybaritica mensa apparatus esset, summam exhibuere philosophiam; ut et Moyses in Aegypto et Paulus in orbe: nihilque his omnibus ad virtutis cursum fuit impedimento. Haec itaque omnia cogitantes, occasiones et obtentus huiusmodi de medio tollamus, sudoresque pro virtute sectanda adeamus. Sic enim



Deum ad maiorem erga nos benevolentiam atrahemus, impetrabimusque ut in certaminibus nobis opituletur, atque aeternis fruamur coronis: quas utinam omnes consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

530 *Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a magis, iratus est valde: et mitens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehém, et in omnibus finibus eius, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a magis.* Certè non oportebat illum irasci, sed potius timere et comprimi, atque intelligere se rem tentare, quam non posset perficere. At ille non coercetur. Quando enim improbus animus et insanabilis est, nulli cedit a Deo concessae medicinae. Vide igitur illum prioribus insistentem et caedem caedi iungentem, atque per praecipitia undique ruentem. Nam quasi a quodam daemone hac ira invidiaque percitus, nulla ratione frenatur, sed contra ipsam furit naturam, iramque, quam contra magos sibi illudentes conceperat, contra insontes pueros exonerat, simile facinus in Palaestina aggressus ei quod olim in Aegypto perpetratum fuerat. Nam ait: *Mitens occidit omnes pueros in Bethlehém, et in omnibus finibus eius, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a magis.* Hic mihi diligenter attendite. Etenim multi plurima circa pueros istos nugantur, iniustitiam facti criminantes; alii quidem modestius ac de re dubia proponunt; alii vero audacius et furiosius. Ut igitur hos ab amentia, alios a dubitatione liberemus, patienter nos audite de tali argumento breviter disputantes. Nam si ea de re criminantur, quod puerorum caedes neglecta fuerit, criminantur etiam ob militum Petrum custodientium necem.

Quemadmodum enim hic puero fugiente, alii pueri pro eo qui quaerebatur interficiuntur: ita tunc cum Petrus ex carcere et ex catenis ab angelo liberatus esset, quidam tyranno nomine et moribus similis, cum eum quaesisset, nec invenisset, milites qui eum custodiebant pro illo interfecit. Et quid hoc? inquires; haec non est solutio, sed additamentum ad quaestionem. Hoc bene novi ego: ideo haec omnia in medium profero, ut omnibus unam addam solutionem. Quae nam igitur est illa solutio? et quam probabilem solutionem afferre possumus? Christum scilicet non fuisse ipsis necis causam, sed regis crudelitatem, quemadmodum neque illis Petrum, sed Herodis amentiam. Nam si effossum murum vidisset, vel portas eversas, iure forte potuisset milites, qui apostolum custodiebant, negligentiae accusare: verum ibi omnia in suo statu manebant: ianuae clausae erant, catenae custodientium manibus alligatae (erant enim illi simul cum Petro vineti), poteratque ex his secum reputare, si quidem recte iudicasset, quod gestum fuerat non humana virtute, neque fraude aliqua, sed divina quadam ac mirabili potentia factum fuisse, atque illum adorare, qui haec fecisset, nec poenas de custodibus expetere. Deus quippe ita omnia fecit, ut non modo custodes non proderet; sed etiam ut per illos regem ad veritatem adduceret. Si autem ille improbus ingratusque fuit, quid ad sapientem animarum medicum, qui omnia agebat ad beneficium praestandum ei, qui morbo inobsequentiae laborabat? Id ipsum hic quoque dicendum est. Cur, o Herodes, a magis illusus iratus es? non noveras divinum esse partum? annon tu principes sacerdotum advocaveras? annon scribas congregaveras? annon vocati illi prophetam, qui haec olim praenuntiaverat, ad tribunal

tum adduxerunt? annon vidisti vetera novis consonare? annon audisti stellam his ministravisse? annon reveritus es barbarorum diligentiam? annon miratus es eorum fiduciam ac loquendi libertatem? annon horruisti ad veram prophetiae vocem? annon ex prioribus postrema sequi cogitasti? Cur non ex his omnibus tecum reputasti, non ex magorum fraude haec evenisse, sed divina virtute omnia, ut par erat, providente? Etiam si vero illusus fuisti a magis, quid illud ad pueros, qui nihil te laeserant?

531 Recte, inquires; sed Herodem quidem omni defensione vacuum, et sanguinariū probe ostendisti: neque tamen adhuc solvisti obiectionem circa facti iniustitiam. Nam si ille iniuste egit, cur Deus id permisit? Quid ergo ad haec dixerim? Id ipsum quod semper et in ecclesia, et in foro, et ubique dicere non desino, quod velim vos diligenter observare: nam regula est ad omnem huiusmodi quaestionem adhibenda. Quae regula, quaeve ratio est? Qui laedant multos, qui laedatur nullum esse. Et ne hoc aenigma vos conturbet, cito solutionem adhibebo. Nam eas quas a quovis homine iniuste patimur iniurias, Deus nobis computat aut in peccatorum remissionem; aut in mercedis retributionem. Atque ut id quod dictum est clarius evadat, ad exemplum veniamus. Ponamus enim esse servum aliquem multas pecunias Domino suo debentem: qui servus ab iniquis hominibus impetatur, ita ut bonorum parte aliqua multetur. Si ergo dominus qui raptorem cohibere potuit, raptas quidem pecunias non restituat, sed raptas tamen inter eas quae sibi debebantur computet: an laesus fuit servus? Nequaquam. Quid vero si plura ipsi dominus dederit? annon plus lucratus est, quam perdidit? Id omnibus palam est. Id ipsum et

nos putemus cum aliquid patimur. Quod enim per aerumnas illas, aut peccata diluamus, aut si non admodum peccatis obnoxii simus, splendidiore accipiamus coronas, audi Paulum dicentem de fornicario: *Tradite huiusmodi Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit* (I Cor. v, 5). Et quid hoc? Nam de iis qui laeduntur ab aliis sermo est, non de iis qui a doctoribus corriguntur. Certè nullum est inter illa medium: nam de dicto huiusmodi quaerebatur. In aerumnis nullum patientis damnum est. Sed ut sermonem transferam ad id quod magis accedit ad quaestionem; recordare Davidis, qui Semei videns instantem et calamitati suae insultantem, sexcentisque probris aspergentem, cum vellent eum duces exercitus interficere, cohibuit his verbis: *Dimittite illum maledicere, ut videat Dominus humilitatem meam, et retribuat mihi bona pro hoc maledicto in hac die* (II REG. XVI, 11, 12). Et in Psalmis canens dicebat: *Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo oderunt me: et dimittite omnia peccata mea* (PSAL. XXIV, 19, 18). Et Lazarus quietem consequutus est (LUC. XVI), quia innumera mala per hanc vitam perpessus est. Non ergo laeduntur, qui laedi videntur, si mala omnia fortiter ferant; imo maius lucrum reportant, sive a Deo percutiantur, sive a diabolo verberentur. Eequod peccatum habuere pueri, inquires, quod eluerent? de iis enim qui aetatem assequuti peccata plurima perpetrarunt, iure quis haec dixerit; qui vero tam immatura morte praerepti sunt quae peccata iis affecti malis deleverunt? Non audisti me dicentem, etiam si nulla sint peccata, mercedis retributionem ibi manere eos qui hic malis sunt affecti? Quid ergo detrimenti accipere pueri pro tali causa occisi, qui statim ad tranquillum portum



appulerunt? At multa, inquit, forte bona edituri erant, si vixissent. Sed ideo non par ipsis merces reposita est, quod pro tali causa obierint. Alioquin vero non permisisset pueros praematura morte abripi, si magni futuri erant. Nam si eos qui in nequitia victuri sunt, cum tanta fert patientia, multo magis hos non sineret ita auferri, si magna quaedam edituros praevideret.

532 Et hi quidem nostri sunt sermones; nec tamen hi soli possunt afferri, sed sunt etiam alii his longe abstrusiores, quos bene novit is qui haec dispensavit. Ipsi itaque accuratiore harum rerum comprehensione concessa, iis quae sequuntur haereamus, et ex aliorum calamitatibus ad omnia fortiter ferenda instituiamur. Non parva enim tragoedia tunc Bethlehem occupavit, peris ex ipsis matrum uberibus abreptis, et ad hanc iniquam caedem abductis. Quod si adhuc pusilli es animi, nec tantam potes philosophiam attingere, disce finem illius qui haec ausus est, spiritumque resume. Celerrima quippe illum facinoris vindicta corripuit, tantique sceleris dignas dedit poenas, dira morte et ea quam intulit miserabiliore vitam claudens, innumeraque alia passus mala: quae discere poteritis si Iosephi Historiam evolvatis, quam, ne longiore utamur sermone, neu seriem nostram intercipiamus, praesentibus non inserendam esse putabimus. *Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus, et fletus et ululatus multus; Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt* (IER. XXXI, 15). Quoniam enim auditiorem replevit horrore, hac violenta, crudelissima et iniqua caede narrata, ipsum consolatur, docens, haec non ideo accidisse, quod Deus ne posset impedire, nec praevideret, sed eum haec et

futura novisse, et praenuntiase per prophetam. Ne itaque turberis, et concidas, in providentiam eius ineffabilem respiciens, quam tum ex iis quae operatur, tum ex iis quae permittit videre est: id quod etiam alibi discipulos alloquens subindicavit. Quia enim tribunalia, abduktiones ad mortem, orbis bella interecinaque praelia ipsis praenuntiaverat, eorum animos erigens, et ut consoletur illos ait: *Nonne duo passeris asse videntur, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro, qui in caelis est?* (MATTH. X, 29). Hoc autem dicebat, ostendens illo ignorante nihil fieri; sed scire illum omnia, nec tamen cuncta facere. Ne igitur, inquit, turbemini, nec commoveamini. Nam qui scit ea quae sustinetis, et ea potest impedire, sine dubio non impedit quia vestrum curam et providentiam gerit: quod etiam in tentationibus cogitare oportet, hincque non parvam consolationem accipiemus. Et quid commune habet Rachel cum Bethlehem? dixerit fortasse quispiam: Rachel, inquit, *plorans filios suos*. Quid item Rama cum Rachele? Rachel mater erat Beniamini; ipsamque mortuam sepelierunt in hippodromo prope hunc locum. Quia igitur sepulcrum prope erat, et haec sors erat, Beniamini filii eius: nam Rama ad tribum Beniamin pertinebat; et a principe tribus, et a sepulcri loco, mactatos pueros iure Rachelis filios vocat. Deinde ostendens insanabile esse tam crudele vulnus, ait: *Noluit consolari, quia non sunt*. His rursus hoc ipsum docemur, quod prius dicebam, non oportere turbari, cum ea quae accidunt, Dei promissioni contraria videntur. Ecce enim cum adventi ipse ad salutem populi, imo ad salutem orbis, quae exordia fuere? Mater fugit, patria eius intolerabilibus calamitatibus affligitur, caedes perpetratur omnium acerbissima,

ploratus et ululatus impetus atque ciuilatus ubique. Verum ne turberis: solet enim per contraria oeconomiam suam implere, maximam inde virtutis suae nobis praebens demonstrationem. Sic discipulos suos induxit atque instituit, ut ita omnia peragerent, contraria contrariis dispensans, quo maius miraculum eluceret. Flagellati itaque illi, et pulsati, et innumeras patientes aerumnas, sic flagellantibus atque pellentibus superiores evaserunt.

Varia de Octava SS. Innocentium, ex Grancolas.  
(COMMENT. HIST. BRIV. ROM. 242).

533 **C**ARDINALIS Quignonius in suo Praefatio a Paulo III Pontifice approbato Octavam Innocentium suppresserat, illicque substituerat Octavam S. Aldegundis Virginis in Hannonia, de qua fit mentio in Martyrologio 30 Ianuarii.

534 Parisiis fit memoria S. Rigoberti Episcopi Remensis, qui obiit anno circiter 743 cuius ossa quaedam Parisiis allata anno 1362 asservantur in Ecclesia S. Mariae, et exponuntur hodierna die super aram maximam tempore Missae, quae prope Sanctorum cineres celebratur, servaturque antiquus usus celebrandi Missam super Ossa Sanctorum.

#### IN VIGILIA EPIPHANIAE

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.  
Matth. II, 19-23.

**I**n illo tempore: Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto,

19. dicens: Surge, et accipe puerum, et matrem eius, et vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui querebant animam pueri.

20. Qui consurgens, accepit puerum, et matrem eius, et venit in terram Israel.

21. Qui consurgens, accepit puerum, et matrem eius, et venit in terram Israel.

22. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudaea pro Herode patre suo, timuit illo ire: et admonitus in somnis, secessit in partes Galilaeae.

23. Et veniens habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth: ut adimpleretur quod dictum est per prophetas: Quoniam Nazaraeus vocabitur.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.  
(COMMENT. IN EVANG. MATTH. L. 2, CAP. 2.)

535 **D**EFUNCTI sunt enim qui querebant animam pueri. Ex hoc loco intelligimus non solum Herodem, sed et sacerdotes et scribas eo-

dem tempore necem Domini fuisse meditados.

*Qui surgens accepit puerum et matrem eius, et venit in terram Israel.* Non dixit, accepit filium suum, et uxorem suam, sed puerum, et matrem eius, quasi nutritius, non maritus.

*Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudaea, pro Herode patre suo, timuit illo ire: et admonitus in somnis, secessit in partes Galilaeae.* Multi labuntur errore propter ignorantiam historiae, putantes eundem esse Herodem, a quo in passione sua Dominus irridetur, et qui nunc mortuus esse refertur. Ergo Herodes ille qui cum Pilato postea amicitias fecit, huius Herodis filius est, frater Archelai; quem et ipsum Tiberius Caesar Lugdunum, quae Galliarum est civitas, relegavit, fratremque eius Herodem successorem regni fecit. Lege Iosephi historiam.

*Et veniens habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per prophetas, quoniam Nazaraeus vocabitur.* Si fixum de Scripturis posuisset exemplum, nunquam diceret, quod dictum est per prophetas; sed simpliciter, quod dictum est per prophetam: nunc autem pluraliter prophetas vocans, ostendit se non verba de Scripturis sumpsisse, sed sensum. Nazaraeus, sanctus interpretatur. Sanctum autem Dominum futurum, omnis Scriptura commemorat. Possumus et aliter dicere, quod etiam eisdem verbis, iuxta Hebraicam veritatem in Isaia scriptum sit: *Exiit virga de radice Iesse, et Nazaraeus de radice eius conscendet* (Is. XI, 1).



Homilia S. Ioannis Chrysostomi.  
IN MATTHE. HOM. 9.

530

**V**IDENE rursus quietem post tentationem? deinde post quietem rursus periculum? Nam post exilium dimissus, et in suam regionem reversus est viditque puerorum interfectorem exstinctum; ubi vero in patriam pervenit, reliquias iterum pristorum periculorum reperit, filium tyranni viventem et regnantem. Et quomodo Archelaus regnabat in Iudaea, cum Pontius Pilatus praeses esset? Recens adhuc erat mors Herodis, necdum regnum in multas partes divisum fuerat: sed quia nuper Herodes obierat, interim filius Herodis imperium tenebat; frater quippe Archelai Herodes et ipse appellabatur: ideo addidit evangelista, *Pro Herode Patre suo*. Sed si Iudaeam adire formidabat propter Archelaum, oportebat et Galilaeam metuere propter Herodem. Sed ubi locum mutavit, res postea in obscuro mansit: totus quippe impetus contra Bethlehem erat et fines eius. Caede itaque patrata Archelaus filius rem peractam putabat, atque eum qui quarebatur inter multos occisum fuisse. Alioquin cum vidisset patrem tali morte consumptum, moderatior fuit, quam ut ulterius procederet, et de iniquitate contenderet. Venit itaque Ioseph Nazareth, ut una et periculum fugeret, et dilectam patriam incoleret. Ut maiori instrueretur fiducia, oraculum ab angelo hac de re accepit: quamquam Lucas non dicat ipsum per oraculum illo venisse; sed completa purificatione in Nazareth reversos illos esse. Quid igitur dicendum est? Quod scilicet Lucas hoc dicat, tempus describens illud, quod praecessit descensum in Aegyptum. Neque enim ante purificationem eos illic deduxit, ne quid contra legem admitteretur, sed exspectavit donec purificatio fieret, ac

redirent Nazareth, tuncque descenderent in Aegyptum. Deinde ex Aegypto perfectos iubet Nazareth, redire. Antea vero non moniti oraculo fuerant, ut illo redirent; sed ex voluntate propria in dilectam patriam se contulerant. Quia enim non nisi pro descriptione et censu illo venerant, nec locus ibi manendi erat, re perfecta, pro qua venerant, reversi sunt Nazareth. Ideo angelus illos domum reducit, ut ibi manerent, neque illud sine causa, sed quod ita propheta ferret: nam ait: *Ut impletur quod dictum est per prophetas, quoniam Nazaraeus vocabitur.*

Equis propheta hoc dixit? Ne curiosius inquiras vel scruteris. Multi enim prophetici libri perierunt: id quod ex historia Paralipomenon videri est. Nam segnes cum essent Iudaei, et frequenter deciderent in impietatem, alios incuria perdididerunt, alios et ipsi combusserunt vel lacerarunt. Horum alterum Ieremias narrat (Cap. 36), alterum is qui quartum Regnorum librum (Cap. 22) edidit, dum ait, post multum temporis vix tandem Deuteronomium effossum fuisse antea perditum. Si porro nullo instante barbaro sic libros prodiderunt, multo magis postquam barbari irruerant. Ceterum quia id prophetae praedixerant, apostoli saepe illum Nazarenum vocant. Hoc ergo est, inquires, quod prophetiam de Bethlehem obscuram reddidit? Nequaquam: sed illud ipsum maxime movebat et ad exploranda ea quae de illo dicta fuerant excitabat. Sic et Nathanael ad perquisitionem de illo faciendam venit dicens: *Ex Nazareth potest aliquid boni esse?* (IOANN. 1, 46). Nam viculus erat vilis: imo non viculus ille tantum, sed tota Galilaeae regio. Ideo dicebant Pharisaei: *Interroga, et vide, quoniam ex Galilaea propheta non surrexit* (IOANN. VII, 52). Attamen ille ex tali patria vo-

catus non erubescit, ostendens se nulla re humana egere: discipulosque suos ex Galilaea eligit, undique occasiones et obtentus succidens iis qui torpere vellet, ostendensque nos externa nulla re egere, si virtutem exerceamus. Ideoque ne domum quidem sibi delegit: nam ait: *Filius hominis non habet ubi caput reclinet* (Luc. ix, 58); atque Herode insidiane fugit, in praesepio collocatur, et in diversorio manet, matremque eligit inopem, ut nos doceat, ne quidpiam huiusmodi turpe esse putemus: dum in primordiis ipse humanum calcat fastum, et uni virtuti addictos esse iubet.

Cur enim de patria altum sapis, quando ego, inquit, in toto orbe te peregrinum esse iubeo? quando licet tibi talem esse, ut totus mundus te non sit dignus? Hacc enim ita contentenda sunt, ut ne a philosophis quidem Graecorum aliquo in pretio habeantur, sed extranea vocatione, extremumque locum occupent. Atqui Paulus haec amplectitur, inquires, sic loquens: *Secundum electionem, charissimi, propter patres* (ROM. xi, 28). Sed dic, quando, de quibus, et quos alloquens. Agit enim cum iis qui ex gentibus conversi, de fide altum sapiebant et tuebant, contra Iudaeos insurgentibus, et hac de causa magis illos a se sequestrabant: reprimens igitur illorum tumorem, hos allicit, et ad idipsum studium excitat. Nam cum de magnis illis ac strenuis viris loquitur, audi quid dicat: *Qui autem haec dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem illius meminissent, de qua exierant, habitassent tempus revertendi: nunc autem alteram meliorem appetunt* (HEBR. xi, 14, 16). Et rursus: *Secundum fidem mortui sunt hi omnes, non reportantes promissiones, sed procal ipsas videntes et salutantes* (Ibid. 13). Ioannes vero ad se venientibus dicebat: *Ne velit dicere,*

*Patrem habemus Abraham* (Luc. iii, 8). Iterumque Paulus: *Non enim omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitae, neque qui filii carnis, hi filii Dei* (ROM. ix, 6). Quid enim, quacso, profuit filiis Samuelis patris nobilitas, cuius non fuerunt virtutis heredes? Quod etiam lucrum filiis Moysis fuit, cuius diligentiam et virtutem non sunt imitati? Neque imperium post illum exceperunt: sed dum patrem ipsum inscriberent, populi praefectura ad alium transivit, qui virtute filius illius erat. Quid autem nocuit Timotheo, quod patre gentili natus esset? quid contra Noc filius de virtute patris lucratus est, qui servus de libero factus est? Vidistine quomodo patris nobilitas non satis, idoneum sit filiorum patrocinium? Nam propositi nequitia naturae leges vitit; nec modo illum ex nobilitate paterna, sed etiam ex libertate deiecit. Nonne et Esau quoque filius erat Isaaci, qui sibi patrocinebatur? Etenim pater eius id curabat, id cupiebat, ut benedictionum particeps esset, et pro hac re ipse quae iubebantur omnia exsequebatur. Attamen quia pravus erat, nullum ex iis fructum percepit; sed etsi natu prior etsi patrem haberet sibi in omnibus faventem, quia Deum non habuit opitulantem, omnibus excidit. Sed quid homines commemoro? Filii Dei fuere Iudaei, et nihil ex tali nobilitate lucrati sunt. Si igitur quis filius Dei effectus nisi nobilitate illa dignam virtutem exhibuerit, maiore afficitur supplicio, quid mihi maiorum et avorum nobilitatem profers in medium? Hoc autem non in Veteri tantum, sed etiam in Novo Testamento contigisse deprehendas, nam ait: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (IOANN. 1, 12). Attamen multis huiusmodi filiis patrem nihil profuisse dicit Paulus: *Si enim circumcidamini, inquit, Christus vo-*



*bis nihil proderit* (Gal. v, 2). Si vero Christus nihil prodest iis qui sibi nolunt attendere, quo pacto ipsis patrocinabitur homo? Ne igitur vel de nobilitate, vel de divitiis altum sapiamus; imo eos qui ita sunt affecti despiciamus: neque ob paupertatem deiciamus, sed illas quaeramus divitias, quae bonis operibus constant: illam fugiamus paupertatem, quae nos in nequitiam concitat qua dives ille, pauper erat, qui ne stillam quidem aquae impetravit, etsi multis adhibitis precibus (Luc. xvi, 24). Quamquam quis inter nos ita pauper est, ut ne aquam quidem habeat? Nemo sane. Nam illi etiam qui extrema fame tabescunt, stillis aquae frui possunt; nec stillis aquae solum, sed etiam maiore solatio. Secus autem dives ille, qui ad eam usque paupertatem devenit, ut nullum posset invenire paupertatis solatium. Cur itaque divitiis inhiamus, quae nos in coelum inducere nequeunt? Dic mihi: si quis rex terrenus diceret, nullum divitem posse in regia fulgere, aut honore frui, annon cuncti divitias despiceretis et abiceretis? Atqui, si ex terrena illius regiae honore nos deiciant, contempti erunt; Rege autem coelorum quotidie clamante ac dicente, difficile esse cum divitiis in sacra illa atria ingredi, annon omnia proiciemus, annon opes amovebimus, ut in regiam illam libere ingrediamur?

542 *Equa sumus venia digni, qui ea quae nobis aditum illum pracludunt, tanto studio complectimur, et non solum in arcis, sed etiam in terra occultamus, dum licet ea in coelis custodienda recondere? Id ipsum certe nunc facis, ac si quis agricola acceptum frumentum in fertili agro seminandum, dimisso agro, in lacum frumentum omne demergat, ut neque illo fruatur ipse, et frumentum corruptum pereat. Sed quam rationem*

proferunt, cum illos hac de re culpamus? Non parvam consolationem id affert, quod sciamus haec nobis tunc recondita esse. Quinimo nescire haec recondita esse, id consolationem afferret. Etiam si enim famem non timeas, multa alia graviora ob depositum tale timenda, mors, bellum, insidiae. Si fames ingruat, populus a ventre compulsus armata dextera domum tuam invadet. Imo dum sic agis, famem in urbes invehis, te hoc fame gravius periculum in domum tuam inducis. Etenim famis calamitate nullos novi statim consumptos: multa quippe undique excogitari possunt ad tanti mali solatium; ob pecunias autem, divitias, resque huiusmodi, plurimos indicare possim, seu clam, seu publice interemptos. Multis porro huiusmodi exemplis plenae sunt viae, plena iudicialia tribunalia et fora. Equid dico vias, iudicialia tribunalia et fora? Ipsum mare videbis sanguine plenum. Haec quippe tyrannus non terram solum occupavit, sed etiam in pelago cum multo furore bacchata est. Et alius quidem navigat propter aurum, alius ob hoc ipsum iugulatur: eademque ipsa tyrannus hunc mercatorum, illum homicidam fecit. Quid magis infidum fuerit quam mammona, cum propter ipsum plurimi peregrinentur, periclitentur et occidantur? Sed *Quis miserabitur, inquit, incantatoris, quem serpens momordit?* (Eccl. xii, 13). Oportebat enim dirae tyrannidis gnaros servitum fugere, noxiumque amorem comprimere. Et quomodo, inquires, id fieri possit? Si alterum amorem induxeris, nempe coelorum. Nam qui concupiscit regnum, iridebit avaritiam: qui Christi servus effectus sit, non erit mammonae servus, sed et eius erit dominus: nam fugientem insequi solet, et persequentem fugere: neque ita persequentem honorat, ut se despicientem; nullum ita deridet

ut sui cupidum; neque irridet modo, sed innumeris constringit vinculis. Solvamus igitur vel sero tandem haece noxias catenas. Quid rationabilem animam irrationali materiae, innumerorum malorum matri, servire cogis? Sed o risu dignam rem! nos illam impugnamus verbis, illa nos impugnat re ipsa, et undique agit et circumfert quasi pretio emptos et mastigas; quo quid turpius, quid indignius? Si enim insensibilem materiam non superamus, quomodo incorporeas potestates profligabimus? Si vilem terram et abietos lapides non despiciamus, quomodo principatus et potestates subiciemus? quomodo temperantiam exercebimus? Si argentum fulgens nos percellit, quomodo pulchram faciem praetercurrere poterimus? Etenim quidam huic tyrannidi usque adeo dediti sunt, ut ipsos vel auri aspectus afficiat, et facite ilariterque dicant: Oculos iuvat numisma aureum oblatum. Verum ne ita ludas, mi homo: nihil enim sic laedit oculos, sive corporis, sive animae, ut horum concupiscentia. Hic certe noxius amor virginum illarum lampades extinguit, illasque a sponsi thalamo exclusit. Hic aspectus, quem dicis oculos iuvare, miserum ludam non permisit audire dominicam vocem, sed in laqueum duxit, atque id effecit ut medius crepuerit, ac post haec omnia in gehennam misit. Quid ergo hac peste iniquius fuerit? quid horribilius? Non de materia pecuniarum loquor, sed de carum intempestiva et furiosa cupiditate. Nam humano distillat sanguine, cruento aspectu, et quavis fera immanior est, atque obvios quosque discerpit, quodque multo peius est, ne sentire quidem laniatum sinit. Cum oporteret enim eos qui talia patiuntur, ad praetercentes manum extendere; et ad auxilium vocare, illi contra de talibus ulceribus gratias habent: quo

quid miserabilius? Haec itaque omnia cogitantes, insanabilem illum morbum fugiamus, eius morsus curemus, et a tali peste procul fugiamus, ut et in praesenti tutam et perturbatione vacuum vitam ducamus, et futuros nanciscamur thesauros: quos utinam nos omnes assequamur, gratia et benignitate Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patri et simul Spiritui sancto, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

**Varia de Vigilâ Epiphaniae, ex Grancolas.**

(COMMENT. HIST. BRËV. ROM., 247-248.)

**N**ihil in toto hodierno Officio referri potest ad titulum, *In Vigilâ Epiphaniae*, idest ad Epiphaniam; totum est, sicut in Dominica infra Octavam Nativitatis, estque; ut aiebat Micrologus illud Officium quod repetebatur quotidie a Natali usque ad Epiphaniam. Evangelium tantum proprium est, nempe de fuga I. C. in Aegyptum...

544 *Hic autem diei Vigilâe Epiphaniae nomen tribuit nequit nisi ratione Missae, quae antehac dicebatur nocte post Nocturnos, et quae praecedenti diei assignata est, postquam nocturnarum vigiliarum usus Populo fuit interdictus...*

Vigilia Epiphaniae nihil tum habebat ab aliis 545 Vigiliis distinctum, noxque precibus et lectionibus insumebatur. De ea agunt in Epistola Trecentensis et Augustodunensis Episcopi Lupus et Euphronius, assertores durare totam noctem, ac propemodum usque mane, non secus ac Vigilam Natalis; Vigilam vero Paschatis citius terminari, quia in Natali et in Epiphania tardius et post coenam et quietem congregabantur, in Vigilia vero Paschatis statim post vesperam, et ieiunii. Affirmant Episcopi in eadem Epistola, Vigiliam Epiphaniae aliquid habere praecipuum: *Epiphaniae solennitas habet suum specialem cultum: et nihil aliud fuisse credo, quam quod in ea non ieiunaretur; legimus enim, Concilium II Turonense anni 567, can. 12, a Natali usque ad Epiphaniam vetuisse ieiunium. S. Caesarius Arelatensis, qui annis 50 vixerat ante hoc Concilium, ieiunium indixerat septem diebus ante Epiphaniam, Vigilam vero Festi praecibus celebrari a nona hora vesperarum usque ad lucis ortum...*

546 *Ioannes Abrincensis optime ait, hanc Vigilam diversimode observari in Ecclesia; alii enim ieiunabant, et Officium faciebant lugubre; alii dien*



festum celebrabant; praefert autem idem Auctor ieiunantes minime ieiunantibus: *Vigiliam Epiphaniae quam plebes diverse colunt: alii enim ieiunant, alii prouident; nobis ieiunandum magis congruum videtur...*

547 Parisiis fithodie commemoratio S. Simeonis Stylitae, qui solitariam in Oriente vitam egit. Cur autem Parisiis Sancto isti habeatur cultus, haud equidem scio; nisi forte quia legitur in Vita S. Genevifae, quod, cum in Syria Parisienses quosdam Mercatores inuenisset, hos rogasse dicitur, ut cum Sanctae istius precibus commendarent. Quod tamen nescio an ulla auctoritate firmari queat.

548 Hodie Graeci in Vigilia Epiphaniae ieiunant, ut scilicet se ipsos praepararent ad caeremoniam aquae

die ipso festi benedicendae, quaeque alias nocte benedicatur. Hac vero aqua olim lavabantur, de ea hodie tantummodo bibunt; lavabantur autem in honorem Baptismi I. Christi, et aqua inserviebat Baptismo Cathecumenorum, qui nocte ista baptizabantur. Quilibet vicus fluvium, a quo irrigatur, multis cum precibus, et caeremoniis benedicit.

Huic Vigiliae populus scurriles licentias substituit, quae procul dubio videntur esse gentilitatis reliquiae. Caeremonia Regis Fabae, ut vocant, neque Christianorum gravitatem, neque hodiernae civitatis videtur convenire. Est illa quaedam ethnicorum imitatio, qui, ut auream actatem significarent, subditos, aequabant regibus, et regium statum commentitium sortiebantur.

## IN EPIPHANIA DOMINI

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.  
*Matth. II, 1-12.*

CUM natus esset Iesus in Bethleem Iuda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam,

2. dicentes: Ubi est qui natus est rex Iudaeorum? vidimus enim stellam eius in oriente, et venimus adorare eum.

3. Audiciens autem Herodes rex, turbatus est, et omnis Ierosolyma cum illo.

4. Et congregans omnes principes sacerdotum, et Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.

5. At illi dixerunt ei: in Bethleem Iudae, sicut scriptum est per prophetam:

6. Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiit dux, qui regat populum meum Israel.

7. Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellae, quae apparuit eis:

8. et mittens illos in Bethleem, dixit: Ite et interrogato diligenter de puero: et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum.

9. Qui cum audissent regem, abierunt. Et ecce stella, quam viderant in oriente, antecesserat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer.

10. Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde.

11. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre eius, et proidentes adoraverunt eum: et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham.

12. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

Homilia S. Gregorii Papae \*.

HOMILIA X. IN EVANGELIA. *Habita ad populum in basilica sancti Petri apostoli, in die Epiphaniae.*

SICUT in lectione evangelica, fratres carissimi, audistis, coeli rege nato, rex terrae turbatus est: quia nimirum terrena altitudo confunditur, cum celsitudo coelestis aperitur. Sed quaerendum nobis est, quidnam sit quod Redemptore nato, pastoribus in Iudaea angelus apparuit, atque ad adorandum hunc ab Oriente magos non angelus, sed stella perduxit? Quia videlicet iudaeis tamquam ratione utentibus, rationale animal, id est angelus praedicare debuit: gentiles vero quia

\* In Breviario Romano haec homilia distribuitur per quatuor primos dies Octavae, nec tamen ex integro datur.

<sup>b</sup> De hoc textu scribit S. Thomas 1. 2. q. 51. a. 1. ad 2.: « Dicedam quod Gregorius nominat angelum rationale animal metaphorice, propter similitudinem rationis ». Et ipse S. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 20. de angelis pravis, ideoque et de omnibus angelis, ait: « Quis sanum sapiens, esse spiritus corporeos dixerit ».